



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniversis Fidelibvs Nostris per patrimonium beati Petri Apostoli constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

enim quicquid earum occasione contra Ecclesias vel personas ecclesiasticas fuerit attentatum decernimus irritum & inane, non obstante aliquo juramento quod super earum observatione præstitum esse dicatur, cum illud, tanquam illicitum, non debeat observari. Iudicibus autem & tabellionibus inhibemus ne secundum huiusmodi constitutiones damnatas suum præsumant officium exercere, si officij sui cupiunt periculum evitare. Datum ut in alia.

*FNIVERSIS FIDELIBVS NOSTRIS
per patrimonium beati Petri Apostoli
constitutis.*

*Epist. 116.
Historia ad
pacem & con-
cordiam, & ut
nullus alium
cõcedat.*

Cum juratum sit à Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus, pacem & iustitiam & securitatem strictè ad mandatum nostrum servare, universitati vestræ mandamus quatinus veram pacem servantes, nequaquam vos invicem offendatis, neque communitas communitatem, neque persona personam, neque communitas offendant personam, exceptis raptoribus & prædonibus, & exceptis bannitis & diffidatis, ad quos puniendos Rectori apostolici patrimonij, quotiens requisiti fueritis, impendatis auxilium opportunum. Si verò quisquam offenditur, non statim reoffendat, sed moneat prius ut emendet offensam. Et si super emendatione orta fuerit contradictio, nisi per alium sedari posuerit, ad arbitrium Rectoris apostolici patrimonij referatur. Alioquin diffidatus ab eo tanquam hostis publicus impugnetur. Cum autem orta fuerit inter aliquos controversia, per concordiam vel iudicium terminetur, sitque iudicium penes eum cui competit iurisdictio, salvis semper appellationibus ad nos vel Rectorem apostolici patrimonij legitimè factis aut etiam faciendis. Si verò quisquam infra beati Petri patrimonium constitutus modum istum servare contempserit, ab omnibus secundum mandatum Rectoris apostolici patrimonij arceatur. Si quis autem auctoritate sua prædam acceperit vel accipi fecerit, seu aliquid furatus fuerit vel furari fecerit, prædam & furtum tam ipse, quam ille qui scienter emerit, cum poena dupli restituat. Qui verò furtum vel huiusmodi prædam emerit ignoranter, ea restituat absolutè, nulla recompensatione sibi præstita vel præstanda, sed emptor adversus venditorem suam habeat actionem. Hæc omnia injungimus sub debito præstiti jura-

Tom. II.

menti Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus observanda; ut & ipsi ea fideliter servent, & per districtus suos faciant ab aliis observari. Salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Datum ut in alia.

*NIVERNENSI ET AVRELIANENSI
Episcopis & Abbati Curie Dei Cisterciensis
ordinis Aurelianensis diocesis.*

Illa venerabiles fratres nostros Parisiensem & Attrebatensem Episcopos & dilectum filium Abbatem de Claromaris credimus honestate pollere ut super ordinatione Remensis Ecclesiæ, quæ eis duximus committendam, bono zelo processerint; præsertim cum is quem ipsi Ecclesiæ præferunt sit vita, scientia, & fama præclarus. Nos autem ad hoc, Deo teste, summo desiderio aspiramus ut in Ecclesia Dei tales ad prælationis officium assumantur qui non sint mercenarij, sed pastores, plebes sibi commissas verbo pariter & exemplo docturi. Porrò dilecti filij Teobaldus de Pertico Archidiaconus & P. de Stampis Canonicus Ecclesiæ memoratæ, inter cetera quæ contra prædictorum Episcoporum & Abbatis processum per suas nobis litteras intimarunt, hoc contra magistrum Albericum in Remensem Archiepiscopum nominatum specialiter expresserunt, quòd erat irregularis, indiscretus, & manumissus. Vnde cum irregularis non congrueret officio, indiscretus oneri, & manumissus honori, Episcopis qui ad ejus consecrationem conveniant interdixere curaverunt ne talem præsumerent in Episcopum consecrare, cum dictus P. interrogantibus ipsis Episcopis respondisset quòd coram eis hoc die data probaret. Sed præfatus Parisiensis Episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso iudice replicante, duos Presbyteros convocavit, quorum testimonia contra Petrum absentem & ignorantem super infamia clam recepit, & sic admissus non fuit ad tantam irregularitatem probandam, videlicet quòd cum vidua conjugalem copulam contraxisset. Eo igitur in ordinatè repulso, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, fecit illum utcumque in Episcopum consecrari. Ceterum Episcopi & Abbas prædicti suis nobis litteris intimarunt quòd in ipso negotio juxta formam mandati apostolici procedentes, præfatum Albericum Parisiensem Archi-

*Epist. 117.
De Alberico
Remensi elec-
to.*

K ij